D O M A

PRAESTANTISSIMO VIRO D. D. GERYONI SEILERO AVGVSTANAE REIP. PROTOPHYSICO, ET ARCHIATRO,

Domino parenti ſecundũ Deum colendiſſ. RAPHAEL F. Comes Palatinus S. P. D.

PRouido naturæ inſtinctu factum eſſe, ſapientiæ nos ſtudium & comprobatio quotidiana docet, vt in liberorum gratiam quicquid parentes contulerint, huius inprimis ad ſe fructum pertinere perſuaſum habeant. Optimam hæreditatem, patrimonio omni præſtantiorem, gloriam virtutis, rerumꝗ geſtarum, ad factorum imitationem iis relinquunt. Quis igitur vitium aut nefas iudicet, ſi morum ſuorum, conſtantiæ, pietatis, doctrinę effigiem ſibi met ipſis adſcribant? Quamobrem ſi quid ingenii, cuius imbecillitatem nihil diſſimulo, cum vitæ huius ingreſſu mihi largitus es, communi patrio iure vſum modò peculiarem iſtius tibi vendica. Aut ſi quam exiguam in me induſtriam ſelectiſſimis exinde diſciplinis excoluiſti: eô magis etiam imperioſè eundem à me repete, quò beneficentia erga me tua propenſior, liberalior, frequentior hactenus extitit. Nam nulla fortaſſe delebit obliuio, quanta paſſim â teneris incunabulis diligentia me domi ad optimas quaslibet artes educaueris. Neque reticere poſſum quanta foris alacritate in Gallia, Belgis, nunc Italia pariter luſtranda me foueris, & his indies pręter expectationem adhuc meam, in poſterum maiora polliceâre. An verò ſaluberrimum Diogenis pręceptum abs te vel obſeruatum, vel excogitatum fuerit, dum re ipſa effectum eius experiar non curo. Interrogatus is enim, quibus officiis patrem & filium mutuò ſe proſequi conueniret, cordatè reſpondit: Rectè vtrinque ſe geſturos, ſi in iis, quibus opus eſſet exhibendis, petitiones alterutras præuenirent. Quod quum optata ſæpè mea effuſo tuo in me amore anteuerteris, iniquum non erit, in eo iuſſum tuum haud expectaſſe, quod per ſe honeſtum eſt, & adoleſcenti abs te ſemper propoſitum fuit. E calumniis autem ęmulorum, conuiciis obtrectantium, mordacitate inuidorum, authoritas me tua parta, & veneranda ſenectus eripiet, pręſertim quum aurium mearum maior ego dominus, quàm illi maledici linguę ſuæ, qui benè loqui nunquam didicerunt, eſſe conſueuerim: Penes iſtos erit maledicere: penes me rectè audire, quibus cum οὐ συγκαταβαίνοιμοι εἰς ἀγῶνα, ὅπως ὁ Δημοσθένης λοιδορούμενος ὑπό τινος εἶπεν, ἐν ᾧ ὁ ἡττώμενος τοῦ νικῶντός ἐστι κρείττων. Incertitudinis concluſionum ſubiectarum cauſam inueſtigas, & facetum Carneadis opprobrium obiicis, qui polypis Academicos aſſimilabat. Vt enim illi cirros ſuos adauctos tandem deuorare, ita & hi ſuas ipſas demum opiniones refutare ſolent. Sed certè nihil ab inſtituto me iocus deterret, quoniam ὁ ἐλλέβορος ὁλοσχερέστερος μὲν ληφθεὶς καθαίρει. Εἰς δὲ πάνυ μικρὰ τριφθεὶς πνίγει, οὕτω καὶ ἡ κατὰ πᾶσαν φιλοσοφίαν λεπτολογία. Sic enim Ariſto diſputationem veritati deſtinatam defendebat, contentionem damnabat obſtinatam, quod veluti veratrum craſſiuſculè ſumptum purgaret, in pollinem verò læuigatum ſuffocaret: ſic & nimis anxia diſceptatio, vtilem ſententiarũ collationem perturbaret. Iam te etiam atque etiam vehementer oro, me totum tuendum ſuſcipias, vt cuius fidei commiſſus, eiuſdem poteſtati permiſſus quoque, periculi diſcrimen authoritate tua effugiam. Tu omnium neruorum ac laborum viciſſim meorum fructus vberes, diuturnosꝗ potiſſimum capies. Vale Patauio. Pridie Scholæ noſtræ. M D LVII.

AXIOMATA ACADEMICA

ex famoſa .l. iuriſgentium .§ quinimò .ff. de pactis.

2 Vtrum Pacti generalis appellatio, omnem duorum pluriumúe conſenſum ſignificet?

4 Vtrum Permutatio ſit ipſo effectu contractus innominatus, an verò nominatus, quemadmodum & Feudi, & Iuris Emphiteutici.

6 Vtrum Quum de pacto nudo loquitur Vlpianus, eidem veſtiti vocabulum rectè opponatur.

8 Vtrum Pactum adiectum ſtipulationi ſub ingreſſum, non tantum inſit eidem, ſed &

10 Vtrum Actionem ex ea deſcendentem informet.

12 Vtrum Stipulatio adiecta contractui, informet veluti pactum.

14 Vtrum Pacta incontinenti conuenta, vt bonæ fidei iudiciis, ita & ſtrictis iudiciis vna prorſus eademqúe ex cauſa inſint, in qua difficultate diſcutienda l. lecta .ff. ſi cert. pet. conſiſtit.

16 Vtrum Pactum nudum iureiurando validatum actionem Iure Ciuili pariat. Item

18 Vtrum De Iure Canonico idem pactum generet actionem.

20 Vtrum In Criminalibus pactum ante accuſationem inſtitutam, quo accuſator à Turpiliano excuſatur, interpoſitum, reo ſemper exceptionem tribuat.

Diſputabuntur publicè in florentiſſimo Gymnaſio Patauino duceu & auſpicijs Magnifici ac Generoſi Viri D. D. Bernardini Fornagerij Rhodig. almæ uniuerſitatis Dominorum Iuriſtarum Rectoris digniſſimi. Anno ſalutis noſtræ

M D LVII.

Menſis Iulij Die & hora

157
64
A. 1557.